

SACRA ROMANA ROTA

Coram R. P. D. SALVATORE CANALS, *Ponente*

CURITYBEN

NULLITATIS MATRIMONII

SENTENTIA DEFINITIVA

SPECIES FACTI

H, annorum 22, et W, decimum septimum annum aetatis attingens, die 12 augusti 1953, matrimonium contraxerunt. Ante nuptias, invitis parentibus W, ambo iuvenes amore et assidua frequentatione, desiderium prosequerantur matrimonii. Nulla concepta prole, infelicissimum exitum habuit matrimonium. W, mense augusti 1958, praetendens se raptam fuisse a futuro sponso, libellum exhibuit Trib. Curibyteni petens nullitatem matrimonii ob raptum impedimentum. Favorabilis sententia, die 24 iunii 1959, a Trib. Curityben. lata est, contra quam ad N. S. T. rite appellavit Vinculi Defensor. Die 30 novembris 1960 suetum concordatum est dubium, cui Nobis hodie respondendum est: An constet de nullitate matrimonii, in casu.

IN JURE

Fere omnes auctores antecodiciales ad impedimentum ex raptu tres condiciones requirunt: "1.—Ut mulier abducta fuerit; 2.—Ut invita; 3.—Ut matrimonii cum raptore contrahendi causa" (J. D'Annibale, *Summula Theologiae Moralis*, III, 1892, p. 351). Non aliter, quoad substantiam, salva nova Codicis statuitione quoad *detentionem seu sequestrationem*, apud Wernz-Vidal (*Ius Can.*, V, 1928, pp. 369 et ss.) et apud P. Gasparri (*Tract. De Matr.*, I, 1932, pp. 382 et ss.); et cfr. F. Cappello (*De Sacr.*, V, 1947, pp. 440 et ss.) praesertim quoad violentiam requisitam. Sufficiat pressius dicere, ad causam decidendam, raptum sine violentia seu non invita muliere, ne concipi quidem posse.

IN FACTO

1. Admittimus ultro H. et W., in aliqua domo in vico R, paucis diebus ante matrimonium pernoctasse ac inde, sequenti die, paternam H. domum